DE CHLOROSI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO D. RECTORE
ILLUSTRISSIMO D. FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE
SPECTABILI D. DECANO
ET CLARISSIMIS DD. PROFESSORIBUS

AD MEDICINAE LAUREAM

IN CELEB. I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

ASSEQUENDAM

AUSPICE

JOANNE MARIA ZENDRINI

HISTORIAE NATURALIS SPECIALI PROFESSORE

Die 24 Mensis Februarii an. MDCCCXXVII.

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Camillus Tenca

TICINENSIS

TICINI REGII

Ex Typographia Fusi et Socii.



DE CHLOROSI.

Cum ad Medicinae lauream assequendam, inauguralem de aliqua re medica conscribere dissertationem mei sit officium, tot inter et varios de illo in animo mihi est affectu pertractare, qui puellas libentius pubertatis tempore aggreditur, et sub *Chloroseos* nomine innotescit. Ast cum celeberrimi auctores de hac affectione copiose admodum, ornateque scripserint, ita mirum forsitan erit, de eodem aliqua me in praesens esse dicturum. Quidquid vero sit, confisus, illos ad quos brevis haec dissertatio accedat, summa benignitate esse excepturos quidquid in tanta rerum dignitate et vastitate exponere valebo, alacri animo in hoc argumentum inquirere audeo. Nolo tamen, aliquem opinari, me aliquid novi esse dicturum, vel quae dicta sunt, meliora facturum, quod etiamsi vellem, meae non sinerent vires: sed tantum, prouti

mei valeant humeri, mihi mens est, praecipua usque dum prolata seligere, et ita breviter in unum colligere, ut facilius elucescat hujusce morbi idea, et apta ejus curationis methodus.

Pallor in tota corporis superficie cum peculiari erethismo nervoso, et laesione processus reproductivi, a Medicis vocatur *Chlorosis* quod nomen depromitur a Graeco verbo *χλωρος* quod significat colorem subviridescentem seu marinum. Etiam alteris nominibus insignitur uti *Icterus albus*, *febris amatoria*, *febris alba*, *morbus virgineus*, *cachexia virginalis* etc.

Ad qualem classem reponendus sit hic morbus disputant Medici inter se. Fuere aliqui, qui considerantes Menostasiam uti causam proximam chloroseos, inter *Eccrises* hanc adfectionem posuere. Sed nobis notum est, etiam puellas copiosis et regularibus catameniis fruentes *chloroticas* fieri posse non solum, sed in maribus ipsis febrim albam evolutam fuisse testatur *Bonnet*. Alteri adsunt practici qui *Chlorosim* collocavere inter *neuroses*; sed erethismus nervosus non semper constans symptoma in ista affectione evadit. Potius quam inter *eccrises*, atque neuroses, inter *cachexias* chlorosis collocanda mihi videtur; forma enim corporis externa in hoc morbo semper est alterata, et quidem in sua qualitate. Qua de causa *cacotrophiarum* ordini illam spectare, generi *leucosio*, sive decolorationum pallidarum, juxta praeclarissimi nostri Institutoris sententiam arbitramur.

Hypotyposis.

Phoenomena praecipua quibus *Chlorosis* manifestatur sunt: Facies pallida, aut viridescens, interdum etiam lutea vel livida, oculi languidi circulo coeruleo circumdati, schlerotica vero semper albida manet, quod inter *Chlorosim* et *Icterum* differentiam ponit, gengivae et labia decolorata, saepe extremitates frigescunt, et tumefiunt senescente die, disphoria, sensus oppressionis ad epigastrium, anorexia, nausea, somnulentia etc. Languent dein etiam vires animales unde evolvitur pigritia ad motum, et post motum quoque levissimum *Chloroticae* anhaelose fiunt praecipue sub ascensione scalarum et montium, et tunc saepe saepius cardiopalmus et syncopes insurgunt: interdum corripiuntur aegri a paroximis febrilibus (*febris amatoria*) aut caloris interne comburentis sensum percipiunt, leucophlegmatia postremo manifestatur vicissim ad faciem et pedes, insequuntur dolores gravativi ad occiput et juxta dorsi spinam, aurium tinnitus, ructus acidi, borborigmi, cardialgia, interdum super cutim hinc inde ulcera deturpantia prorumpunt; pulsus diversimode variantes adparent, nunc debiles, nunc frequentes, mox tardi, mox parvi et contracti, saepius autem molles.

Constantissimum autem in *Chlorosi* phoenomenon, de quo omnes auctores mentionem faciunt, est appetitus quantitative, vel qualitative deprava-

tus. Revera qui hoc morbo detinentur non solum appetunt ea quae ordinario alimento inserviunt, sed et longe diversa, et saluti tuendae minus apta avide quaerunt, calcis fragmenta, humum, cinerem, carbones etc., et hae abnormes cupidines interdum irresistibili prodigiosa et fere maniaca violentia patefiunt. Quod autem mirum, meliora alimenta inappetentiam, nauseam, vomitum ipsum ex solo aspectu producunt; cernere est aliunde in infirmis omnia apparatus saburralis signa; adest nempe tumefactio stomachi, eructationes, sensus amaritiei in ore, lingua spurca, saepius alba crusta obtecta, dolor ventriculi assiduus, urinae nunc pallentes inodorae, nunc densae et foetidae, catamenia vel suspensa, vel saltem laboriosa, sanguis e vena missus pallidior, multam continens seri copiam, et ejus principium plasticum haud sufficienter elaboratum.

Peculiarem autem attentionem sibi vindicat character aegrorum moralis. Summa illis inest nervosa receptivitas, minima contradictione irritantur, solitudinem praediligunt, et observatione dignum est, quod eadem causa, quae in ventriculo appetentias depravatas excitat, eodem quoque tempore desideria extraordinaria in alio organo non minoris momenti determinat. Praecox adest in amorem proclivitas, delectamen in lectione fabulosarum aut amatoriarum narrationum, et sic chimericis insomniis incenditur lubrica immaginatio. Physiognomia est talis, quae universim animae sensibilis characterem imprimit.

Talia sunt potiora symptomata, quibus recta hujus morbi diagnosis superstruitur.

Aetiologia et Nosogenia.

Inter momenta proegumena quae *Chloroseos* evolutioni favent habemus aetatem juvenilem, temperamentum nervoso-melancolicum, vitam sedentariam, cibum exiquum parum nutrientem, habitationem in locis humidis aere oxigenio destitutis, animi pathemata, et amorem praecipue. Habituales secretiones et excretiones nimis profusae huc quoque accedunt.

Nullum adest dubium, in *Cholorosi* imperfectam et debilitatam esse haematopoesim. Fluidum illud pretiosum quod omnis vitae et caloris perennem fontem sistit, hoc in morbo necessariis non est praeditus conditionibus ad vitam aequabili et normali modo sustentandam. Sed quaenam sint mutationes a dictis causis inductae in conditiones dinamico-adsimilativas organorum et systematum, quae prae aliis in sua textura, aut in vitali incitamento patiantur, quaenam uno verbo sit pathologica *Chloroseos* conditio, hoc sane maximam attentionem in philosophicis indaginibus magistrorum in arte requirit. Non est hic mei officii illas discussiones attingere quae a rei gravitate requirerentur. Aliquas hic tantum considerationes retulisse juvabit, quibus rite perpensis non longe a veritate videatur statuere posse, » Pa-
» thologicam *Chloroseos* conditionem sistere in abnor-

» mi solidi vivi adsimilatione quae ni a totali defi-
» centia, a sensibili saltem pendere videtur imminu-
» tione in sanguine alicujus principii elementaris,
» quod practica observatio oxigenium esse posse
» suadet ».

Oxigenium, inquam; ipsa enim pharmaca hoc principio scatentia, quaeque illud facile cedere possunt, ipsamet sunt feliciora auxilia, quibus haec adfectio tuto et celerius debellatur. Ecquis enim tam rudior in chemiae animalis legibus, cui jam luculenter non innotuerit, quantus sit debitarum oxigenii proportionum influxus in adsimilationem materialium, ex quibus diversa organa et systemata componuntur, ad illi vivaciorem, tutioremque vitae processum sustentandum? Ea est porro animalis oeconomiae lex, ut oxigenii ope laete rubens, et nutritioni aptus deveniat sanguis, ut ejus ope ipsa invariabilis et constans interna animalium temperies servetur. Idem practica ad lectum aegrorum confirmat observatio; dum enim gas oxigenium aut oxida metallica hoc principio ditiora exhibentur, solidum vivum distinctam aptitudinem acquirit ad vitalem illum turgorem, qui incitamenti ope validius actionibus potentiarum incitantium externarum reagere juvat. Quod si organismus debita proportione fraudetur ejusmet principii (ne fors dicam aliorum nondum bene determinatorum) abnormis necessario redditur organorum materies quae vitae conservationi prospicit; in humoribus ipsis, qui illorum actioni subjiciuntur,

correspondentes effectus gignuntur; hi humores propterea vel qualitate, vel etiam quantitate peccantes: nutritionem organicam, illam praecipuae nervosi systematis, imperfectam reddunt. Inde igitur morbosae hujuscae conditionis necessariae sequelae fiunt, languor, habitus cachecticus, faciei et corporis superficiei universim pallor, summa systematis neurici et sanguiferi receptivitas, cardiopalmos, syncopes frequentes, sensationum anomalia, systematis lymphatico-glandularis inertia, ac propterea aedematiae, extravasiones lymphaticae, nec non irregularitates in adsuetis secretionibus et excretionibus. Et cuncta enumerata phoenomena, symptomatum caterva adamussim constituunt, quibus *Chlorosis* designatur.

Statuta sic per hanc analytice sumptam ratiocinationem conditione pathologica *Chloroseos*, ardua amplius non erit problematis solutio, utrum nempe haec adfectio unius sexus foeminei propria sit. Negandum quidem non est, sub hujusce morbi decursu, functiones uteri, nec non organa omnia cum utero sympatica relatione connexa, notabiliter pati; ac propterea morbum ipsum sub inveterato incremento complicatas formas inducere; nihilo tamen secius vera *Chloroseos* causa in morbosis uteri conditionibus non recognoscitur, quin immo et ipse secundario modo patitur. Hic est casus immediate successionis morbosae Pathologorum; quam enim plerumque organorum et systematum proportiones dynamico-adsimilativae abnormes reddantur, et ista

et illa atonica fiant: nil mirum igitur si vasa uterina jam debilitata et languida, vim projectilem et sanguificantem amittant aut saltem imminuant. Mensium ergo necessaria suspensio.

Si infracta itaque proportio summe necessarii ad adsimilationem organicam principii, pathologicam *Chloroseos* conditionem constituit, morbus hic aeque in maribus ac in foeminis manifestari poterit, quoties eadem abnormitas in eorum organismo obtineat. Haec propositio, quam sana logica suffulcit, clinica ulterius observatio luculenter probat. *Chlorosis* morbus est quoque hominibus communis, et eam tantum obtinet differentiam, ut hi minus quam foeminae eatenus ab ipso morbo afficiantur, quatenus mares et per congenitam compagem validiorem et per vitae genus adolescentiae tempore minus subjiciuntur influxui potentiarum earum, quae in foeminis morbum hunc evolvere juvant. Et revera Cabanisius ipse (*Rapport du physique et du moral de l' homme*) quamplures vidit juvenes chlorosi affectos quae iisdem jugulata fuit remediis, quibus foeminae *Chloroticae* curantur. Non exempla aliunde desunt puellarum patenti *Chlorosi* correptarum, quibus regulariter et per omnem morbi decursum menstrua fluebant. Haec facta, quae in dubium revocanda non sunt, abunde errorem demonstrant illorum, qui *Chlorosim* a vitio uteri particulari pendere, et catameniorum suppressionem prouti *Chloroseos* causam immediatam considerandam esse cre-

diderunt. Nemo sane ibi inficiatur, hanc conditionem frequentius comitari cutis decolorationem quae *Chloroseos* characterem imprimit. Sed tum cutis decoloratio, tum etiam mensium inordinata ratio sunt plerumque effectus ejusdem causae, ejusdem nempe dispositionis organismi propter statum atonicum organorum digerentium. Hoc intuitu primus rem bene consideravit praeclarissimus *Hoffmannus*. Cognovit ipse, et probare conatus est, in omnibus circumstantiis, digestionis laesionem veram causam sistere decolorationis cutis, et specialius morbi de quo est sermo: quidquid ipse de suarum observationum subjectis refert, luculenter probat, foeminas inordinatis tributis mensilibus praeditas non esse solas quae a chlorosi afficiuntur. Neque contra hanc sententiam stat observatio quod *Chlorosis* saepe saepius supressioni diuturnae mensium subsequatur: uterus enim hoc tempore incitabilitate majori pollet, hinc facilius vel et leviores persentit organismi mutationes: praeterea ut decoloratio cutis producatur organorum digerentium major requiritur atonia, quam ut menstruatio supprimatur. Sed omni in casu haec viarum alimentarium atonia consideranda est tamquam secundarius effectus, a causa principali pendens, ab abnormi nempe sanguinis principiorum proportione: nec abnormitas ista per consensum solummodo fistulae cibariae munus laedit, sed et eodem tempore plus caetera systemata priori subordinate in laesionem suam trahit. Hinc evidenter patitur systema lympha-

ticum, neque, uti vidimus, omni labe expers ipsum systema nervosum deprehenditur. Et nec res est conceptu difficilis; si enim consideramus sanguinem sistere praecipuum vitalitatis motorem, omnia inde systemata et partes organismi, quae suam ex sanguine repetunt vitalitatem aut suas proprietates, non possunt, ipso laeso, non laesa inveniri.

Terminationes et Prognosis.

Chlorosim haud infrequenter in sanitatem terminatur, tum sub debita therapia, tum sub faventibus circumstantiis, et sub apto vitae regimine. Requiritur vero pro sanitate quoddam tempus diuturnum, oportet enim ut illa diathesis omnino evanescat; id quod praecipue fit dum istinctus sexualis obtunditur vel satisfit. Ubi profundas radices *Chlorosis* fixerit, cum atrophia, hydrope, scorbuto conjungi solet; et si praevalet erethismus nervosus tunc oriuntur tremores, convulsiones, paralyses et neuroses variae.

Prognosis ergo in morbo inveterato cautissima esse debet; morbus enim non est mere dynamicus, hinc plus quam a natura, ab arte molimina (si quae sint) sunt omnino speranda: et quamvis multum hoc tempore progressa sit medica doctrina, neminem latet proh dolor! quibus brevibus et incertis limitibus ipsa adhuc sit adstricta. *Chlorosis* incipiens in subjecto nulla labe detentus prognosim faustam pronunciare suadet.

Therapia.

Therapia directa non habetur, quatenus vel causae amoveri nequeunt, vel ablatis, dispositio non evincitur; rationalis idcirco indirecta tantum conceditur cura. Sicuti causa proxima sistere videtur in haematopoesi imperfecta, in eretismo nervoso morbose incitato, atque in laesis uteri functionibus, ita patet quod praecipuae indicationes esse debent, 1.° ut vitiata haematopoesis emendetur, 2.° ut eretismus nervosus compescatur, 3.° ut uteri functiones ad normam reducantur. Praecipua itaque remedia erunt tonica, antispasmodica, et uterina. Quoad prima egregie conveniunt amara stimolo permanenti gaudentia, hinc trifolium fibrinum, gentiana, cascarilla, china, quassia, porro praestant martialia ad sanguinis colorem laete rubentem redonandum in conubium cum croco, mente catamenia ciendi. Inter Martis praeparata juxta opportunitatem seliguntur vel extractum Martis pomatum, vel Tinctura Malata Ferri, vel flores salis ammoniaci martiales, et prae aliis merito laudantur Spiritus Aetheris ferratus, aquae Spadanae, et balnea ipsa martialia.

Praeter haec uti remedium valdopere oxigenabile laudatur a Practicis et a Brera praecipue oxidum nigram Mangani: nulla fors adest substantia quae hoc facilius et promptius cum oxigenio combinationem ineat. Sub hac unione evadit corpus nigerri-

mum quod ad modicam calorici actionem magnam gas oxigenis purissimi copiam evolvit; propter hoc adamussim aptissimum ad tam essentiale principium adsimilationi organicae suppeditandum. Moleculae oxidi hujus quas Vanquellinius prouti capillorum nigricantium partes integrantes considerat, ulterius demonstrant, hoc oxidum metallicum inter materialia humani corporis adnumerari debere, et ex his inter ea quae ipsi robur majus conciliant. Nil mirum igitur si ipsum feliciter *chloroseos* curationi usurpetur.

Praeter jam dicta remedia, alterae sunt substantiae quae analoga virtute et indole pollent uti ex. gr. aether sulphuricum, varia ossida metallica, et murias potassae hyperoxigenatus.

Etiam alterantia laudata fuere sicuti pharmaca quae haematopoesim emendant quatenus reactionem in minimis vasis, atque majorem vitalitatem inducunt. Bene juvant hoc intuitu Squilla, Antimonialia, et digitalis Purpurea. Emetica ipsa fuere in exordio morbi tentata, et revera si *chlorosis* semper a digestionis languore vel Saburra gastrica comitatur, vomitus ad complicationem tollendam omnino necessarius evadit. Haemenagogorum usus summam cautelam requirit, et nonnisi curae symptomaticae partem constituit, dum tempore minus opportuno adhibita gravissimas secum trahere possunt sequelas. Si tamen eorum usur placuerit, illud sane erit tempus opportunum in quo proxima naturae conamina ad

menses iterum ordinandos observentur. Naturae nisus ab illis arsis suffulti non raro optatum producunt effectus. Tali pacto devicta pathologica organismi *Chlorotici* conditione, vel saltem ad meliorem statum reducta, si ulterior urgeat indicatio, usu stimulantium permanentium omnis cura perficitur. Haec auxilia esse possunt vel balnea frigida, vel infusa croci, centaureae minoris, haerbe millefolii, florum chamomillae, aurantii, radicem gentianae etc.

Si turbae nervosae insurgunt, ad eretismum nerveum compescendum, nervinis et antispasticis, uti camphora, mosco, assa foetida, spiritu cornu cervi succinati erit utendum. Vaene sectio, qua nonnulli Medici abutuntur eo intuitu ut menstruationis vices agat, hic male semper conducit. Narcoticorum usus interdum indicatur ad sedandos dolores, qui sub menstruationis conamine insurgunt. Eorum indoles est spasmodica et quidem ex irritatione uteri sub infructuoso menstruationis labore.

Cum *chlorosis* sit morbus organicus, hic etiam admodum sperandum est a regimine diaetetico, scilicet ab aere puro, sicco et potius frigidiusculo, a victu ex vegetabilibus potius deprompto uti oxigenio pregnantibus. Ipsa acida et corporis exereitia modica valdopere contribuunt. Quibus omnibus cura psichica addenda est, quae obtinetur solitudinem evitando, ideas fixas amovendo, animi quietem conciliando. Matrimonium inter haec remedia est Princeps.

F. I N I S.



THESES DEFENDENDAE.

I.

Disponens in febres intermittentes momentum systematae gangliari tantum inhaeret.

II.

Variolas spurias verarum progeniem hybridam esse defendimus.

III.

Diffusionem actionis contagiorum in organismum per nervos fieri censemus.

IV.

E sola pulsuum conditione diathesis morbosa haud statuenda.

V.

Hydrargyrum non omnes morbi venerei formas eradicare pariter valet.

VI.

Cutis functionem inter et illam renum perfecta viget antithesis.